

v^o 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.



I. N. J. A.
INTRODUCTIONIS AD LOCOS

Theolog. B. Chemnitii,
DISPUTATIO VII.

Ex quâ
De
TERMINIS ET VOCABULIS IN ARTICULO DE
CHRISTO

OCCURRENTIBUS, ITEMQUE EJUS DIVINITATE,

Præside
JOHAN-BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.
Licentiato, Profefs. Publico & ad D. Thomæ
Ecclesiasse;

Respondente
M. CHRISTIAN-FRIEDERICO Franckenstein Lipsiensi,
Facult. Philos. Assesf. Schol. Senat. ConR. &
Conc. Sabb.

ad VI. Eidus Maji, Anni 1648.
disputabitur.

LIPSIÆ,
Typis HENNINGI CÖLERI.

INTRODUCTIONS AD LOCOS

DISPUTATIONUM

TERMINIS ET VOCABULIS IN ARTICULO DE

CHRISTO

OCURRENTIBUS TERMINIS SUI DIVINITATIS

JOHANNES BENEDICTUS CARPZOVII S. Theol.

Licentio, Prof. Publico & S. D. Theol.

M. CHRISTIANUS ERBERGII S. Theol. Licentio

Prof. Publico & S. D. Theol. Licentio


Optimo suo FRANCKENSTEINIO
de CHRISTO disputanti.

Quem Stagira, quem Zenonis novit alta porticus,
Ipsa quem miratur Hellas, ipsa Peitbo Romula
Hellados callere sacra, Romulique abscondita,
Sacra tractet ille nostra? Nempe pronus ad tuos
Cuncta, Sospitator alme, cuncta deponit pedes.*

*Sic Nazianzenus Philoso-
phiae sermones pronos in pa-
vimento ante Christi pedes
se deponere dixit.

Lm̄g, fac:

M. Fridericus Rappolt,
Facult. Philos. h. t.
DECANUS.





Optimo suo FRANKENSTEINIO
de CURISTO disputanti.

Quem Stagna, quem Zononis vocit alta porticus,
Quos quos miratur Hellas, ipsa Pitho Romula,
Hellas cedere sacra, Romulique abscordita,
Sicra trahet ille nostras? Neque prius ad tuos
Cuncta sospitatorum, cuncta deponit pedes.*

* Sic Naxianorum V. d. d. d.
p. h. e. s. r. m. e. s. p. r. o. v. e. r. i. t. a. t. e.
t. i. m. e. n. t. o. a. n. t. e. C. h. r. i. s. t. i. p. e. d. e. s.
s. e. d. e. p. o. n. i. t. e. d. i. x. i. t.

Imp. fac.

M. Fridericus Rappolt
Facult. Philol. h. c.
D. R. A. N. N. A. E.



LOCUS IV.
De
CHRISTO.

HOc Fidei nostræ caput *Chemnitius in Locis*, quantum ad *duas Naturas in Christo* attinet, satis prolixè quidem exponit, sed in cæteris ad mysterium hoc spectantibus sterilis est; Assumamus igitur & jungamus ejus *Librum*, quem *de duabus Naturis in Christo, de Hypostatica earum Unione, & de Communicatione Idiomatum aliisque inde dependentibus questionibus* conscripsit, quò etiam remitemus toties lectorem quoties nudè & non addito *Locorum nomine, Chemnitium* allegabimus. Totum autem hunc *Locum* in *quinque partibus capitula* I. est de *Terminis & Vocabulis*, quorum usus in *Doctrina* hac perpetuus est. II. De *Divinitate Christi*. III. de *vera ejus Humanitate* IV. de *duarum naturarum Unione & inde resultante Idiomatum Communicatione*, V. de *Christi Exinanitione & Exaltatione*.

Respondente
M. Chri-
stian-Fride-
rico Fran-
ckenstein
Lipsiensi,
Facult. Phil.
Assess. & Sch.
Sen. ConR.

CAP. I.

Terminis & Vocabulis,

I. *Vocabula*, quorum usus magnus est in *Doctrina de Persona Christi*, sunt vel *Essentialia* vel *Personalia*, *Chemn. de duab. nat. c. 1. p. 1. a.*

§. Horum nominum naturam & conditionem accuratè tenere, omninò necessarium est ne, vel *natura* confundantur, vel *persona* separetur. Unde eorum ignoratio, juxta *Damascenum lib. V. de O. F. c. 5.* hæreticos in errorem induxit.

II. *Essentialia* sunt, quæ *ipsas Naturas in Christo* designant *ac exprimunt*, ut *θεός*, *άνθρωπότης*, *Humanitas*, *Essentia Divina*, *Natura Divina*, *Humana Essentia*, *substantia divina*, *Chemn. l. all.*

A

Essen-

§. 1. *Essentiam, Substantiam, Naturam & Formam Chemnitius* quidem appellat *Synonyma*, sed benè addit hunc *περοδιορισμὸν*, ex usu *Ecclesie* ista talia esse. Non enim nescius fuit, singula hæc nomina suas, in *scholis præsertim Philosophorum*, habere differentias; & *Essentiam ac Substantiam* differre ut *latius & angustius*, *Naturam* autem ac *Formam* *Essentiæ* aliquid superaddere, dum priore ad *Operationes & functiones*: posteriore verò ad *Constitutionem rei* respici soleat. Hoc quia diffiteri non potest *Daneus*, in *Exans.* fol. 1354. 1355. ideò fraudem fingit, quam hic occultaverit *Chemnitius*, ut discrimen *Naturalium & Essentialium* proprietatum tollere, & ex proprietate *Naturali* v. gr. *incorruptibilitate* *carni Christi* communicata, ad *Essentialium* proprietatum, *Omnipotentia, Omniscientia, &c.* *Communicationem*, eò tutius argumentari posset. Sed quicquid sit, de ipsâ re infra suo loco explicanda, satis nunc est, ostendisse, *Chemnitium* ad *Ecclesiam* verem provocare, & ultra non progredi, id quod contextus verba etiam sufficienter probant. *Synonyma* ex *Veteris Ecclesie* usu esse ac pro eodem usurpari *δοξίαν, φύσιν, καὶ μορφήν*, &c.

§. 2. De Vocabulo *μορφῆς Formæ* sub vestibulum notari debet, *Chemnitium* in libello suo passim, de ipsa *Natura* tam *Divina*, quàm *Humana* vocem hanc accipere, & ita etiam *μορφήν Θεῶ & μορφήν δούλου Phil. II. 6. 7.* interpretari. Neminem autem hoc turbare debet, si viderit, non *immediatè de ipsa natura*, sive *Divina* sive *humana*, sed de *Majestate Divina* *Carne Christi* communicata hodie *Orthodoxos Theologos*, voces has explicare, & ἐν μορφῇ Θεῶ εἶναι de *Majestatis* hujus possessione. *μορφήν* verò *δούλου λαΐκου* de *Majestatis* hujus evacuatione exponere. Nam 1. Imitatur *Chemnitius Patres* nonnullos, ad quos provocat etiam. 2. Non absq; connotatione *status* ita accipit voculam istam, sed ad significat eum, uti *cap. XXIV pag. 172. b.* claris verbis id ostendit. Dicit *Paulus*, inquit, *Christum non tantum fuisse ipsam formam Dei, secundum Divinitatem, sed fuisse etiam in forma Dei, hoc est, in summa Divinitatis gloria, majestate ac potentia, utpote verum Deum, æqualem Patri, sicut plerique Veterum interpretantur, vel sicut Ambrosius, Erasmus & Lutherus interpretantur: Totam plenitudinem Divinitatis inhabitasse*

in assumpta natura personaliter &c. De phrasi ipsa legantur Mentzer. *Disput. VII. Martini Elenchomen. thes. 24. p. 205. & in Anti-Martiniop. 477. seqq.* Fevverborn. *Fasc. III. Disp. 2. th. 21. seqq. pag. 46. seqq.* Gerhard. *in Exeges. S. 295. p. 1488.* Schroder. *in Sceptro regali Christi l. 1. cap. IX. pag. 115. seq.*

§. 3. Quid *Essentia* sit in communi & vulgari sermone, Chemnitius ex Patrum ore notavit. Non verò neglexit applicationem vocis ad præsentem Doctrinam sed optimè explicat, quid *Divina Essentia*, quid item *Humana Natura* ibidem denotet, ut nequicquam hinc ab ullo desiderari possit, & Danaus fol. 1355. *Opp.* frustra de neglectu hoc eum acculet.

§. 4. *Divina Natura* significat aliàs *Unam numero Essentiam Divinam* omnibus tribus personis cõmunem ac totam in singulis verùm in *Loco de Persona Christi & Incarnatione Filii Dei*, illa ipsa *Essentia* quidè intelligitur, nò verò *quatenus* omnibus tribus personis cõmunis est, sed prout *relatè in secunda persona* consideratur ac subsistit, & *ἡ ὑπόστασις τοῦ υἱοῦ* in persona Filii Dei limitatur ac genita est; unde *Tota Essentia Divina quidè Humana Natura unita est*, sed in una suarum hypostaseων, non in & sub Persona Patris, Filii & Spir. S. sed in & *sub solius Filii persona.* Chemnit. p. 2. a. 5. a. 9. a. *Humana* autem *Natura* in Christo est quidem *Natura ἀνυπόστατος*, id est, per se & secundùm seipsam in propriâ personalitate, uti eam non habet, ita nec in ea subsistit; sed tamen non *nudâ cogitatione* consideratur, neque in *specie suâ* & prout in omnibus hominibus pariter existit; sed est *Individua & vera ac certa massa* in se ἀνυπόστατος quidem, ἐνυπόστατος verò in *Unione Personalis* facta pag. 2. a. ex Damasceno.

§. 5. Inflexionem terminorum ἀνυπόστατος & ἐνυπόστατος etiam ex eodem Patre probè adnotavit Chemnitius. Etsi enim aliàs ἀνυπόστατος dicatur, quod simpliciter non existit, ἐνυπόστατος verò quod vel per se existit, vel in alio hæret, sicut *Accidens* in *Subjecto*, tamen hoc in loco ἀνυπόστατος est, quod *per se & secundùm propriam personalitatem non subsistit*: ἐνυπόστατος verò, quod in altero subsistit & alterius hypostaseως particeps factum est. pag. 2. b. Vid. Gerhard. *in Exeg. de Pers. Christi, S. 112. p. 1233.*

III. Nomina *Personalia* sunt, quæ *personam* (non *Personas*, ut *Daneus* fol. 1357. ex Singulari Pluralem fecit, quò Calumniari magis posset) designant & exprimunt, Deus, Homo, secunda Persona Trinitatis, Filius hominis, Christus &c. *Chemnit.* p. 1. b.

§. 1. *Synonyma* dum appellat *Chemnitius*, ὑφιστάμενον, ὑποστάσις, πρὸς ὄψιν καὶ ἄτομον subsistens, subsistentia, Persona & Individuum, iterum non ignoravit, discrimen inter *Individuum* & *Personam* etiam in *Theologorum scholis* hodie frequentari, ut *Daneus* annotatione fol. 1356. opus non fuerit; sed iterum ad *Ecclesie usum* respexit & lites prolixiores repetere noluit ex Consilio, uti expressis verbis addit. Quomodo alias differant hæc duo *Individuum* & *Persona* notavit *Dn. D. Jacob. Martini* l. 2. de Trib. Elohim cap. 4. p. 34. & cap. 6 p. 44. seqq. *B. Gerhard.* in Exeges. Loc. de Trinit. §. 62. p. 982. 983. & in L. de Pers. Christi §. 95. p. 1214.

§. 2. Diligenter autem inculcat & exponit *Chemnitius* discrimen *Personæ*, prout scil. in *Substantiis* intelligentibus *Creatis* obrineat, & prout in *Theologorum Scholis* atque in doctrina de *persona Christi* recepta vox illa fuerit, ut condonationem à *Daneo* hinc impetrare necesse non habeat, & non absque veritatis injuriâ ille scribat fol. 135. *Chemnitium* utramque *Definitionem* quidem posuisse, sed non explicasse, utra magis propria esset. Non b. in l. saltem, sed prolixius infra C. VI p. 38. a. & b. id fecit *Chemnitius*.

§. 3. Spina autem est in oculis *Daneus*, quòd dixerit *Chemnitius*, Nomina hæc Deus, Homo, λόγος, esse nomina *personæ*, & obscurarum fraudum ac manifestorum errorum ideò postulat fol. 1357. *Chemnitium*. Sed & hinc fumos vendit *Daneus*, & manifestò Nestorianismum renovat. Nam 1. de vocabulis his extra *Articulum de persona Christi* non loquitur *Chemnitius*, ut propterea *Articulum* de Deo huc vocare non debuerit *Daneus*; sed tot verbis ad doctrinam hanc de qua in præsentia agit, illa restringit, 2. Falsum & Nestorianum est, nomina hæc supponere pro
Na.

Naturis & non pro personis in scriptura quando dicitur: *Christus homo est mortuus: Dominus gloriae est crucifixus*. Tota enim persona illis nominibus designatur & de Tota persona ista enunciantur licet distinctim postea explicetur secundum quam naturam de persona, ista enuncientur. Non equidem ignoravit Chemnitius, Patres interdum *Concreta* seu Nomina Personae pro *Abstractis* posuisse & contra, Nomina *Abstracta* pro *Concretis*, sed diligenter notavit illas phrasas c. XV. p. 100. b. & 101. a. Cautè autem monuit ibidem, minus diligenter & propriè ita locutos fuisse Patres praesertim ante mota *Nestoriana* & *Eutychiana* Certamina. Videatur de hac *Enallage* B. Schröderus in *Sceptro Regali Christi* l. 2. cap. V. p. 244. seqq. 3. In propositionibus personalibus sive *Unionem* sive *Unionem* seu *statum* exponant, vocabula *Deus* & *Homo* non notant *naturas*. Quia tamen cum Connotatione suppositi vel personae & ratione Unionis personalis eas exprimunt, sive loco praedicati stent, sive loco subiecti, atque ita semper connotant personam, rectè à Chemnitio appellantur Nomina personae.

IV. Nomina *Essentialia*, quae ipsas *Naturas* denotant vocantur *Abstracta*; Nomina verò *personalia*, & quae ipsam Personam in duabus *Naturis* subsistentem designant, *Concreta*. p. 2. b.

§. 1. Inde *Propositiones Abstractivae* dicuntur, quae vocabulis ipsas naturas in Christo; *Concretivae* verò, quae vocabulis ipsam personam significantibus, constant. Vid. *Form. Concord.* in *prefat. Catalog. testimoniorum*, p. 706.

§. 2. Quia verò hac nomenclatione adversarii, ut Carni humanae Christi *αρχιματτα* Divina communicata esse, eò audacius negare possent, pessimè abusi sunt, & hinc varias struxerunt insidias, *Abstractorum* & *Concretorum* subdivisio gravi consilio in *scholas Theologorum* introducta est, quâ, inter illa, quae *persona* & quae *Natura* sunt, distinguitur.

§. 3. *Abstracta* autem *Nature* vocant illa vocabula, quæ naturam exprimunt, qualis sit & quid habeat si secundum se & in se p. 3. b. sine connotatione personæ: *Abstracta* autem *Persona*, quæ quidem Naturam exprimunt, sed non qualis in sese est vel secundum proprietatem suam naturalem, verum prout secundum Unionem personalem consideratur, seu ἐν ὑπὸστασι is est & in λόγῳ seu persona Filii Dei subsistit. Hanc distinctionem insinuat Chemnitius, quando p. 3. fac. 1. scribit, de Humana natura Christi in Abstracto rectè dici quod sit vivifica, & ead. pag. fac. 2. non rectè dici de Humana natura quod vivificet. Nimirum falsa Propositio hæc est, si *Abstractum Nature* intelligatur: verissima verò si *Abstractum Persona*. Et pag. 4. a. insidias Adversariorum notavit, ex quibus beneficio hujus distinctionis protrahi possunt. Vide hæc latius explicata à B. Mentzero, *Disput. III Tom. I Giffens. tb. 24. ad 48. p. 63. seqq.* & imprimis ab *Apolog. lib. Concord. c. 2. p. 36. 37.*

§. 4. *Concreta Persona*, sunt vocabula, quæ personam Christi in duabus Naturis consistentem secundum utramque naturam exprimunt, denominatione factâ vel à *Naturâ*, sive alterutra, & *Synecdochicâ* quadam ratione (in propositionibus officium exponentibus) ut Deus, Homo: sive utraque ut Emmanuel, Christus: vel ab *Officio*, ut Jesus, Redemptor, &c. *Concreta* autem *Nature* sunt, quæ Naturam unam quidem & non totam personam (in predicationibus personalibus & quibusdam primi Generis ac tertii Generis) exprimunt, sed tamen cum connotatione personæ, & prout ab identitate personalitatis ipsi communicat, ut Deus, Homo, Caro, Sanguis.

§. 5. Et hi termini non (1.) ad res ipsas turbandas, sed distinguendas & explicandas, & (2.) ad protrahendum Adversarios ex insidiis suis, meritò in Ecclesia nunc retinentur; quicquid sit de eorum *Natalibus*, quos *Scholasticis* debent. Rem n. in Scriptura traditam luculenter exponunt & vindicant. Unde Lutherus à Chemnitio p. 3. a. citatus, judicavit: *Divinitus factum esse, quod quedam vocabula vocentur Abstracta, quedam Concreta.* Vid. etiam infra Chemnit. de duab. nat. cap. XIII. pag. 84. 85. Legi possunt de his terminis *Theologorum Electoral. emissionis super Controversiam*

siam inter Hesbustum & Wigandum de Concreto & Abstracto motam, apud Hütter. in Concord. Conc. cap. XXIII. fol. 199. seqq. Item, Hütter. in Loc. cap. 3. Loc. de Christo, fol. 155. 156. Gerhard. in Exeges. de pers. & offic. Christi §. 168. pag. 1305. 1306. D. Job. Weberus in Opusc. de Abstracto & Concreto in doctrina de persona Chr. Winc kelman. Tom. 2. G. ssens. Diss. III. p. 79. Meisn. part. 1. Philol. Sohr. Sect. IV. cap. 5. p. 1066.

V. Nomina, quæ id quod *Naturas* invicem distinguit, exprimunt, vocantur *proprietates* & *differentia essentialis*, p. 4.

§. 1. Etsi enim alias *Proprium* tanquam ἐπισημῶδες distinguatur soleat ab eo, quod est ἰδιώδες, ejusque nomine soleat venire non quod *Essentiam* Subjecto largitur, sed quod *præter Essentiam* subjecto convenit, tamen in hac doctrinâ latiore accipit significatum, & cum *Damasceno* sumitur à *Chemnitio*, pro omni eo, quod aliud ab alio quocunque modo separat & distinguit, uti ipsemet pag. 4. a. id fatetur.

§. 2. Unde dividuntur *Propria in Constitutiva*, quæ *Damasceno* dicuntur συστατικὰ τῶν φύσεων; & *Consecutiva*, quæ appellat τὰ περὶ φύσιν vel παρεπόμενα τῇ φύσει. *Priora* ipsas *Naturas* constituunt & ad *Constitutionem* *Essentiæ* pertinent; *Posteriores* verò eam sequuntur. Et rectè monet *Chemnitius* divisionem hanc esse *Propriorum* non *Divinæ*, sed *Humane nature*. In *Divina* enim natura nihil distinctum aut diversum ab eâ datur, quod illam meliorem aut perfectiorem reddere posset, cum sit simplicissima & summè perfecta. Hoc dum *Danaus* de omnibus propriis in genere interpretatur f. 2363. pessimè mentem *Chemnitii* pervertit, & *Fallac.* à *Dicto* secundùm quid ad dictum simpliciter committit.

§. 3. Et hæc proprietates manent cujuslibet *Naturæ propriæ*, & alterius nunquam propria fiunt, aliàs desinerent esse quod sunt pag. 4. b. Unde & *Idiomata Divina* *Carni Christi* communicata non rectè propriè aut commodè appellantur *Idiomata humane nature*. pag. 5. b. Aliud enim est alteri communicari, aliud
alte.

alterius proprium fieri. Prius de Divinis Idiomatibus è Scriptura ita edocti asserimus ac probamus, illa Carni Christi esse communicata: non autem *posterius.* Id quod contra *Jesuitas & Calvinistas* exæquationem Naturarum, effusionem proprietatum & alia nobis affingentes, hîc in antecessum *Chevnitius* voluit notare.

VI. Nomina quæ personam *Ἐλόγῃ* ab aliis personis S. Trinitatis distinguunt, dicuntur *Personalia*, aut *personales proprietates*, p. 5. a.

§. De hisce in *Loco de Dei Essentia cap. 2. Theor. IV. §. 3.* copiosè dictum est, ut non opus sit, hîc ista repetere.

VII. Ab *Essentialibus* proprietatibus humanæ naturæ, distinguenda sunt *Accidentia Idiomatica*, p. 5. a.

§. 1. Non enim hæc ex naturali sui constitutione *Humana Natura in Christo* habet, sed *aliunde*, ac sine illis & esse & subsistere potest species humanæ naturæ.

§. 2. Talia *Accidentia* sunt (1.) *Infirmities* liberè assumptæ de quibus infrà *cap. III.* (2.) *dona creata* subjectivè in hærentia (3.) proprietates humanæ naturæ *quasi personales*, v. gr. subsistere in persona *Ἐλόγῃ*, sedere ad dextram Majestatis &c. *pag. 5. a.* de quibus monuit *B. Mentzerus in Anti-Martinio p. 138.* accuratè ita illas appellari, cum *Humana natura* non sit persona; sed in persona *Ἐλόγῃ* subsistat; & proinde personale de illa primariò dici non possit.

CAP. II.

De

Divinitate Christi.

Doctrina de *Divinitate Christi* duo involvit, *Unum*, Christum esse *verum Deum*; *Alterum* verò, Christum esse *Filium Dei ab æterno genitum*, his addi potest *Tertium de Certaminibus in Ecclesia*

Haec motis super hanc rem, quæ omnia certis membris commit-
temus.

MEMBRUM I.

De

Vera Deitate CHRISTI.

I. Christus est *verus, æternus, summus ac inde-
pendens Deus.*

Non enim ratione *Officii & potestatis* Divinæ eidem collatæ
Deus dicitur, sed reverã & naturã suã *summus Deus* est, id quod
etiam credimus firmiter & propugnamus.

II. Probatum hoc [i.] *ex omnibus appellationi-
bus & nominibus Dei propriis Christo attributis.*
Chemnit. in Locis p. 142.

*Hieronymus in Epistola quæ est numero CXXXVI. inter Epi-
stolas, quæ Tom. I. Opp. edit. Paris. 1609. fol. 1144. continentur, ad
Marcellam sine dubio Ebraicè doctam (quod de ejus sorore Paula
ac nepte ex sorore Eustochio, Hieron. in Epitaphio Paula ad Eu-
stochium fol. 235. refert) Nominum Dei in Codice sacro occurren-
tium Catalogum confecit & ad Denarium numerum eum restrin-
xit. Utrum privatã industriã hæc nomina collegerit: an ex Do-
ctore suo Judæo, [à quo plura se didicisse in Epistola quadam ad
Damasum, quæ inter Epistolas CXLII. est fol. 1182. confitetur,] id
habuerit: an verò numero à Rabinis collecto, sicut Rambam in
הַשְּׁמִינִי סֵפֶר septem recenset Dei nomina, addiderit alia, non con-
stat: Quicquid verò hujus sit, & quicquid etiam de ipsa distin-
ctione nominum ab aliis moneatur, uti videri possunt B. Gerhard.
in Tom. I. L. de nat. Dei, cap. 4. §. 21. & in Exeg. Tom. I. §. 21. pag.
615. D. Matthias Colleg. Exercitat. Antiphotinian. Exerc. III. IV, &
V. D. Calovius in cap. III. Theol. Natur. & revel. pag. 297. ad 515.
Buxtorffius in Dissertat. de Nominibus Dei Hebræicis 1645. edita, An-
gelus Caninius in Disput. pag. 25. Hackspan in Disputationum Triga
B de*

de Dei, Angell. & Demon. Nominibus Exercit. I. & II. Discurs. Philo-
log. de Dei nomin. Mochingeri, Gomarus Disputat. de Nomin. Dei
part. III, Oper. fol. 10. seqq. Noster Chemnitius omnia ista Christo
in Scriptura etiam tribui, per inductionem ostendit.

II. *Prima* classis Nominum Divinorum Christo
attributorum complectitur illa quæ exprimuntur
Ebraicè per אלהים, אלה, אלהים in V. T. & in Nov.
Testam. per Græcum θεός. Chemnit. in Loc.
pag. 143.

§. 1. In V. Test. sunt textus præ cæteris Psal. XLV. 7. 8. *Un-*
xit te אלהים Deus tuus, Esa. IX. 6. Deus fortis. Psalm. LXIIX. 18.
Currus Dei, qui est Messias. In Nov. Test. id legimus Job. I, 1. Act.
XX. 28. & c.

§. 2. De ipsis hiscè vocabulis præter allegatos, in specie
consuli potest B. Hopfner. in Disputat. de Nominibus Dei אלהים &
אלהים 1622. habita. Walther. in Spicilegio pag. 304. seqq. B. Meisn.
part. 2. Phil. Sobr. pag. 375. Crines. Exerc. IV. Exerc. Hebraic. Theo-
log. D. Steuberus in Disput. Phil. de voce אלהים Giffæ 1624. habita,
Sennertus in Diatriba Philologica 1645. edita. Nunc de differentia
vocalorum horum Ebraicorum in præsentia sufficit monuisse
אלהים & אלה differre ut pluralem & singularem, אלה verò & אלה
etiam radices diversas habere, & prius quidem ab inusitata radi-
ce אלה alterum verò ab אלה quæ in Arabica lingua significat *co-*
luit, veneratus est, derivari.

§. 3. Ut autem rectius cognoscatur vis hujus argumenti,
observandum est (1.) nomina hæc non esse appellativa, sed propria,
uti etiam Lactantius l. 1. de fals. relig. c. VI, p. 18. ostendit. Quia enim
Deus propriè & naturâ est, qui habet essentiam divinam & cujus
potentia ac potestas ipsi Essentialis est, & verè essentia divina est
una numero & singularissima, ideò non potest nomen Deus ap-
pellativum esse, quod commune sit pluribus, sed qui unus est
Deus naturâ, ille solus etiam verus Deus est. Positò etiam, no-
men

men *Dei* esse *Nomen potestatis*, non tamen ita expleretur per potestatem, ut non etiam in proprio suo significato essentiam & divinam essentiam designaret. Unde (2.) quando legimus nomen hoc tribui etiam *Creaturis*, utpote *Angelis Psal. VIII. 4. Magistratui Exod. XXII. 8, Psal. LXXXII. 6. Johan. X. 34. Prov. VIII. 14.* non in proprio suo, sed *improprio ac Metaphorico* suo id fit significato, quia scilicet illæ *Creaturæ aliquid simile Deo* habent & *Dei vice suum gerunt munus.* Atque ita non nisi ratione *officii & potestatis* in alios usurpandæ, quam à Deo habent, ipsis competit nomen hoc, minimè verò propter *naturam & Essentiam.* Et hoc sensu etiam *Orthodoxi* hujus vocis *Interpretes* intelligi debent, quando nomen *Dei κατ' ἐξοχήν* Deo vero tribui in Scriptura, docent. Nimirum non intelligunt hi *ἐξοχήν* secundum *analogiam intrinsecam*, quæ primum enunciatorum eundem conceptum formalem & quidem proprium habet cum reliquis analogatis, & in hoc tantum differt ab iis, quòd primariò participet conceptum formalem seu Deitatem, reliqua autem analogata secundariò eundem conceptum communem habeant; sed secundum *Analogiam tantum externam*, quæ primum Analogatum propriè est id quod dicitur & per naturam suam, reliqua verò analogata saltem impropriè & per similitudinem quandam Deitatis. Solus enim *Verus Deus est naturâ & Essentiâ Deus: Angeli verò & Magistratus tantum dicuntur Deus & non sunt*, quia nullo modo participant de Deitate, sive æqualiter, sive secundum quid, sed saltem ita nominantur propter *similitudinem* aliquam potestatis supereminentis. Non verò (3.) in *nuncupativo & improprio* hoc significato *Christo* nomen *Dei* cõpetit, id quod satis eo ipso etiam Scriptura nos docere vult, quando non tantum *absolutè & definitivè* eum Deum nominat, quæ observatio est *Irenæi l. III. advers. heres. cap. 6. fol. 143.* Sed etiam ejusmodi *determinationes* addit, quæ proprium vocis significatum satis produnt, ut quando dicitur *Deus super omnia benedictus in secula Rom. IX 5 Deus per quem omnia facta sunt Johan. I. 3. verus Deus, 1. Job V. 20. magnus Deus Tit. II. 13. Dominus & Deus Johan XX. 28. cui pii servire debeant, &c.*

§. 4. Neque obstat nomini Deus, Christo tributo, quod (1.) ex *Johan. X.* 34. 35. 36. ab antiquis & Neo-Arrianis objicitur, & (2.) quod nomen *Jeûs* absque articulo Christo *Johan. I.* 1. & *Rom.* 1X. §. attribuat. Nam in loco ex Johanne citato, Christus non argumentatur à pari sed à minori ad majus, & eximit se ab omnibus qui propter officium dicuntur Dii: pag. 143. Articulorum autem defectus nil detrudere proprio significatui vocis Dei potest, partim quia non semper fiat, partim, quia etiam nomen Dei, Deo Patri tributum eodem articulo destituatur. pag. 144.

IV. Alteram nominum Divinorum classem Christo attribui solitorum, in Scriptura constituunt יהוה, יהוה, & יהוה Chemnit. in locis p. 145.

§. 1. Textus hoc evincentes sunt *Esa. VI.* 1. collatus cum *vers. 41. cap. XII. Johannis. Esa. II.* 13. 14. collatus cum *vers. 8. 1. Petr. II.* 5. v. 34. *Luc. II. Zach. XII.* 10. collatus cum *Johan. XIX.* 37. *Exod. XVI.* 7. *Num. XIV.* 22. collati cum *1. Cor. X.* 9. *Esa. XLV.* 21. 22. 23. collati cum *Rom. XIV.* 12. *Jerem. XXIII.* 6. XXXIII. 16. collati cum *1. Cor. I.* 30. *Exod. III.* 14. collatus cum *Apocal. I.* 7. 8. 17. 18.

§. 2. An hæc tria nomina (de quibus in specie legi possunt *Flacius part. 2. Clav. fol. 626, Wilhelm. Lyser. in Trisag. Seraphico th. VI. seqq. Rungius in cap. III. Exodi pag. 105. seq. Dorschaus Disput. XII. th. 1. seqq. & dissert. XI. Vindic. ad cap. IV. Exodi. Waltber. in Spicilegio pag. 1. seqq. ad 304. Crines in Exerc. V. Exercit. Ebraicar. pag. 57. seqq. Frantzius de Interpretat. Scriptura Orac. CIII. pag. 622 seqq. Drusii Tetragrammaton, Rivetus Exercit. XIV. in Genesis pag. 72. seqq. Fuller. l. 2. Miscell. Sacror. cap. 6. pag. 189. seqq. Sixt. Amama in Antibarb. Bibl. p. 473. seqq.) sint distincta nomina, inter Doctores Christianos etiam ambigitur. Noster Chemnitius יהוה habet pro contracto ex nomine יהוה, unde & non textus adducit, in quo istud Christo accommodetur, & *Mercerum, Forsterum, aliosque* sibi consentientes habet. Sed contra alii sunt, qui diversitatem ostendunt (1.) ex originatione, ac deducunt יהוה ab יהוה, יהוה vero ab יהוה (2.) ex analogia grammatica quia יהוה מappicatum habeat*

habeat, quod nunquam ex $\bar{\eta}$ quiescente fieri possit. (3.) ex usu *biblico*, quia cum $\bar{\eta}$ construatur *Esa.* XII. 2. XXVI. 4. Occurrit autem nomen $\bar{\eta}$ tantum in metrica oratione *Exod.* XV. 2. *Psal.* LXIIX. 5. XCIV. 12. CXIIX. 5. 14. 17, 18. 19. CXXXV. 14. CL. 6. *Esa.* XII. 2. XXXIIX. II. Pro $\bar{\eta}$ quod ratione formæ suæ prima persona F. 2. Kal est, pugnat *Logica predicatio* in qua $\bar{\eta}$ loco subiecti stat *Exod.* III. 14.

§. 3. De omnibus autem hisce nominibus, quibus omnes, qui *Divinitatem Christi* negant, valde premuntur, notari debet (1.) ipsam Dei *Essentiam Divinam Infinitam* per ea designari pag. 147. & non tantum ad promissionum Dei firmitatem ac constantiam respici. Unde & *Brentius à Chemnitio* pag. 46. citatus, hoc & non alio sensu intelligi debet. Descendunt enim à Rad. $\bar{\eta}$ vel $\bar{\eta}$ quæ significat idem ac fuit. *Philo in l. de vita Moysis* nomen $\bar{\eta}$ dicit, esse $\delta\nu\omicron\mu\alpha$ & $\delta\nu\tau$ Entis, & *Justini Martyris* testimonium à *Chemnitio* pag. 146. allegatum eodem modo, id explicat. (2.) Ita hoc nomen Dei esse proprium, ut non tantum proprie soli Deo competat, sed etiam ut nulli *Creatura extra compositionem vel appositionem*, aut *extra Dei veri conceptum*, attribuat, & ita planè incommunicabile sit. Unde & ipsi *Rabini* loca objici solita *Genes.* XXII. 14. *Exod.* XVII. 15. *Ezech.* IV. 35. *Jud.* VI. 24. ut & *Onkelos* aliter explicarunt, uti ex *Burgensis* *scrutinio Scripturarum* allegat *Chemnitius*, pag. 47. Hoc ita esse ostendit tum ipsa hujus nominis exemptio ejusque ab ipso Deo facta appropriatio *Exod.* III. 9. *Esa.* XLII. 8. tum antithesis, quâ *Baalim* & aliorum falsorum Deorum nominibus opponitur, *1. Reg.* XIIIX. 21. *Mich.* IV. 5. Notandum (3.) nominis proprii formam & naturam grammaticam etiam hoc nomen habere. Nunquam apponuntur affixa, nunquam $\bar{\eta}$ *Emphaticum* præponitur, & singulari numero tantum legitur. (4.) à *Judeis* pro Dei nomine proprio id agnosci, qui $\alpha\epsilon\nu\epsilon\kappa\phi\omega\nu\eta\tau\omicron\nu$ appellant, & ob reverentiam non pronunciant, sed si scribatur $\bar{\eta}$ legunt per $\bar{\eta}$ si vero $\bar{\eta}$ legunt per $\bar{\eta}$.

§. 4. *Græcum* nomen $\kappa\upsilon\beta\iota\omicron\varsigma$ in V. Test. respondet nomini $\bar{\eta}$ sed tum demum, si absolute usurpatur, ubi significat eum, qui

qui essentiam divinam habet & naturam Deus est. Quando verò relatè accipitur & eum significat, qui habet *jus proprietatis ac dominium in aliquem*, tunc respondet voci Ebraë יְהוָה & appellativum est ac ratione redemptionis Christo imprimis competit, quò digitum suum *Chemnitius pag. 148.* intendit. Utroque modo ac respectu Christus est Dominus.

V. Tertia clasfis nominum Divinorum Christo attributorum continet יְהוָה , צְבָאוֹת , עֲלִיוֹן & שְׁדַי *Chemnit. in Loc. p. 148. 149. § 150.*

§. 1. Nomen יְהוָה singulare juxta ductum *Concordantiarum Ebraicarum* nunquam cum aliis affixis reperitur, quàm cum *primæ personæ affixo Jod*, & à præcipuis *Lexicographis, Pagnino, Schindlero, Buxtorffio* ex inusitata radice יָה unde יְהוָה quod *basia ac fundamentum ædium* significat, deducitur, ut יְהוָה *Dominus* ita dicatur, quia sit quasi *fundamentum ac columna regni & familiæ*, sicut *Græcis Βασιλεύς* dicitur quasi *Βάσις & λαός*. Deo verò hoc nomen assignatur, non tantùm in *singulari* multis in locis, sed etiam in *plurali* *Psal. CXXXVI. 6. Mal. I. 6.* ad designandum *mysterium Trinitatis*, ut notavit *Tarnovius in Malach. pag. 21.* Quamvis autem creaturis hoc nomen sæpe tributum inveniatur, tamen Deum verum notat *quando vel cum demonstrativo* efferatur, *Exod. XXIII. 17. XXXIV. 23. Esai. V. 24. c. III. 1. cap. X. 16. 33. Malach. III. 1. vel geminatum* ponitur *Deut. X. 17. Psal. CXXXVI. 3. vel cum יהוה* aut alio Dei nomine conjungitur, *Genes. XV. 2. Exod. XXIII. 12. Joban. III. 13. Jud. XVI. 18. Nehem. X. 29. Psal. IIX. 2. 10. &c.* vel talia *attributa* sibi addita habet, quæ nemini nisi *Jehovæ* convenire possunt, *Psal. CXXXV. 5. CXLVII. 5. Psal. CXXXVI. 3. Nehem. III. 10. Joban. III. 11. 13. Psal. XCVII. 5. Mich. IV. 14. Zacch. IV. 14. vel absolute* ponitur *Psal. CXIV. 7. XII. 5.* Et in hoc eminenti gradu Christo *Psal. CX. 1.* tribuitur, quando *David* eum suum *Dominum* appellat, & ita *Messia* ejusmodi *Dominium* vendicat, quod non tantùm in *potentissimum regem*, quo *superiorem nemo tunc noscebatur*, sed etiam in *totam Israëliti-*

liticam Ecclesiam haberet. Unde firmiter ex nomine אֱלֹהִים ita sibi attributo Christus *Matth. XXII. 43.* contra *Phariseos* suam divinitatem probat. Aliàs cum nomine אֱלֹהִים cum *Kametz* in fine aliter comparatum. Differt enim hoc ab אֱלֹהִים in eo etiam, quod nunquam creatura attribuat & proprium Dei nomen sit, ut ostendit *Gerhard. in Exeg. §. 48.* scil. in locis illis, ubi non affixum, sed formativum vocis est.

§. 2. Inter nomina Dei ab *Hieronymo* etiam nomen צְבָאוֹת numeratur, & sine dubio non negavit *Hieronymus*, Nomen hoc aliàs esse appellativum, & in statu constructo quandoque etiam in *Sacro Codice* poni: Verùm an ista constructio locum habeat tunc quando cum אֱלֹהִים nomen צְבָאוֹת ponitur ut *Pf. LIX. 6.* יהוה אֱלֹהִים צְבָאוֹת & *Pf. LXIX. 7.* יהוה צְבָאוֹת אֱלֹהִים item cum אֱלֹהִים ut *Esa. X. 16.* אֱלֹהִים צְבָאוֹת item cum יהוה frequentissimè: & annon potius inter Dei nomina absolute posita referri tunc debeat? de eo cogitare ulterius permittit. In *N. Test. Paulus Rom. IX. 29.* & *Jacobus cap. V. 4.* nomen hoc retinuerunt, quod etiam *Lutherus in Bibliis Germanicis* semper imitatus est & quidem non temerè. Quia enim novum non est, in *Sacris*, nomen plurale poni pro singulari ad denotandam excellentiam, ut *Mich. V. 2.* מוֹצֵאוֹת ponitur pro admirabili & excellentissima nativitate, quæ Filio Dei ab æterno competit: *Prov. I. 22.* Filius appellatur חֵכְמוֹת, id est, sapientia excellentissima: omninò fieri potuit, ut Deus appellaretur צְבָאוֹת id est, excellentissima fortitudo, penes quem est omnimoda vis agendi. Si autem dicatur אֱלֹהִים absolutum poni pro constructo, quod sæpe fieri ex *Buxtorffii Thes. l. 2. cap. 4.* ostendit *Glassius l. III. pag. 149.* in cæteris verò ellipsin vocis אֱלֹהִים frequentius expresse posita, ut *Tarnov. in exercitat. pag. 368.* & *Glassius l. III. pag. 144.* volunt, textusque multos adducunt, *Hieronymi* sententia inermis planè erit. Quicquid vero hujus rei sit, ex locis à *Chemnitio* adductis *Esa. XII. 14.* & *Psal. XXIV. 8. 10.* certum est, id nomen etiam Christo tribui & quidem cum nomine יהוה conjunctum, quâ ratione nulli creaturæ tribuitur in *Scriptura* nec tribui potest. *V. Lyser, in Trisag. Seraph, thes. 13.*

Noj

§. 3. Nomen יְהוָה in Scriptura etiam de rebus creatis enunciat-
 ri, negari non potest. Enunciatur de populo Israel *Deut. XXVI. 19.*
XXIX. 1. de templo Salomonis *1. Reg. IX 8. 2. Chron. VII. 21.* de va-
 riis rebus in superiore parte positus, v. gr. canistro pistoris *Genes.*
XL. 17. urbe Betchoron *Jos. XVI. 5. 1. Chron. VII. 24. 2. Chron.*
IX. 5. porta regia domus *2. Chron. XXIII. 20.* domo Regis *Nehem.*
III. 25. porta superiore, *Jerem. XXXVI. 10.* piscina superiore *Esa.*
VII. 3. cap. XXXVI. 2. de coatignatione superiore domus *Esa.*
XLI. 7. exitu aquarum superiore urbis *Jerem. XXXVI. 10.* & in plu-
 rali de cubiculis *Ezech. XLII. 5.* Sed tamen & hoc certum est. de
 uno homine ac individuo imò etiam de Angelis, nunquam id pradi-
 cari. Deo autem attribuitur sapissimè & quidem non tantum ad-
 jectivè, constructum cum nomine יְהוָה *Genes. XIV. 18. 19. 20. 21. 22. Ps.*
LXXIIX. 35. cum יהוה *Psal. VII. 18. XLVII. 3. XCVII. 9.* cum אלהים
Psal. LVII. 3. LXXIIX. 56. Sed etiam absolutè & substantivè *Num.*
XXIV. 16. Deut. XXXII. 8. Psal. IX. 3. XII. 14. XXI. 8. XLVI. 5. L.
14. LXXVII. 11. LXXIIX. 17. LXXXII. 6. LXXXIII. 19. LXXXVII.
5. XCI. 9. XCII. 2. CVII. 11. Esa. XIV. 14. Tbren. III. 35. 38. 2. Samuel.
XXII. 14. Atque ita in Nomen Dei proprium transit hæc vox, quò
 respexit Hieronymus, quando nomen יְהוָה inter Dei nomina re-
 tulit, quò denotatur summa Dei perfectio, & admirabilis ejus
 excellentia, quâ omnem creatam perfectionem excedit. Tri-
 buitur autem Christo & quidem conjunctim cum nomine יהוה *Ps.*
XLVII. 3. Alter autem locus citatus ex *Psalm. XCIX. 2.* non
 יְהוָה habet sed יהוה quod in hoc loco יהוה equipollet.

§. 4. Nomen יְהוָה Deus sibi metipsi tribuit *Genes. XVII. 1.*
XXXV. 11. unde autem derivetur nomen hoc, non æquè sentiunt
 omnes. Lutherus in *Genes. XVII.* prolixè differit de voce hac, & à
 יהוה quod mamma sonat, derivat, quasi Deus inde mammosus
 dicatur, quòd omnia alat ac nutriat; & non approbat sententiam
 Ebraorum, quia יהוה vastavit, vocem deducunt, indeque dictum
 volunt esse Deum יהוה quòd omnia, si velit, pro omnipotentia
 sua, vastare ac in nihilum redigere possit, quam sententiam se-
 quuntur Buxtorff. Schindlerus, Tarnovius etiam in Joël. p. 39. Sunt
 qui ex relativo יהוה & nomine יהוה derivant hoc nomen, quod Deus sit
 sibi

sibi ipsi sufficiens, cum ⁷ sufficientiam notet. Quicquid verò sit de o-
 rigine vocis, de qua legi possunt omnes illi quos supra allegavimus
Ihes. II. §. 1. in Scriptura soli Deo hæc vox tribuitur & nulli alii. *Reuch-*
linus quidem in *cap. Concord. Ebraic.* tam de Deo quàm de aliis vocem
 hanc dici, notavit; Sed ubi id fiat, non addit, nec in Codice Sacro id
 apparet. *Schindlerus* in *Lexico* duo notavit loca *Ezech. I, 24.* &
Job. VI. 4. De primo ipse dubius est; In altero Deus ipse nomine ⁷
 significatur, quod *Contextus* probat. LXX. quandoque Ebræam vocem
 per *πρωτοπρωτος* verterunt, maximè in *Jobo*, ubi frequens ejus usus est:
 Hanc vocem *Jobannes* in *Apocal. I. 8. & c. XVI, 14.* retinuit ac eadem
 Christum insignivit.

VI. Alterum argumentum pro Divinitate Christi,
 ex illis quæ soli Divina Natura conveniunt & in Scri-
 ptura Christo tribuuntur, petitur. *Chemn. in loc. p. 150.*

§. 1. *Vis* argumenti ab ipso Deo ostenditur, quando ex hujusmodi
 attributis ac operationibus se solum esse verum Deum, probat *Esa. XLI.*
17. Jer. X. II. c. XXIII. 24.

§. 2. Ex illis autem quæ soli divinæ naturæ competunt, noster *Che-*
mnitius primo loco allegat *Præsentiam Infinitam*. Ita enim corrigendum
 esse Sphalma textus, in quo pro *Præsentia* ponitur *Essentia*, *contextus*
 totus arguit. *Præsentia* autem hæc, utut *formaliter* ab *Infinitate* essentiæ
 divinæ, quæ omnes terminos *Essentiæ*, & *Immensitate*, quæ omnes ter-
 minos quantitatis, loci & ubietatis excludit, quin imò ab ipsa *Poten-*
tia præsto essendi, rectè distinguatur; cum *Præsentia* sit proprietas Dei *rei*
lativa, in tempore cœperit, ac non nisi *Concretivè* de Deo prædicetur:
Infinitas verò & *Immensitas* sicut & *Potentia præsto essendi* omnibus, attri-
 buta *absoluta* sint, ac intra finem Deitatis maneat: Uti *Dnn. Theol. Sa-*
xonici id annotarunt in *Decisione contro. Tubing. pag. 17.* & in *Apologia*
 passim *pag. 246, 255.* & latius id declarat. *Feyerborn Disp. de Θεωρητικῆς*
Præsentia Universalis & Speciali T. V. Marp. disp. th. 9. p. 348. tamen rectè
Infinita appellatur in *Concreto*. Non enim localis est sed omnem fini-
 tudinem excludit, licet locis & terminis omnibus Deus sit præsens.

§. 3. Testimonia *Infinitam præsentiam* demonstrantia à *Che-*
mnitio allegata, rectè applicari debent. Non enim de divina natura in

C

Chri-

Christo *exclusivè* hoc intelligit, quasi dicta hæc de Christo secundum *divinam tantum naturam*, loquerentur, sed ostendere saltem vult, Christo competere *hanc presentiam*, satisque habet id ostendisse. Dictum *Matth. XXII. 20.* loquitur de Christo secundum *humanam naturam*, cui Potentia præsto essendi omnibus creaturis per unionem personalem communicata & per quam etiam Omnipræsens est secundum *humanam naturam*, ubicunque vult. In dicto autem *Job. III. 13.* Subjectum est *Filius hominis*, quo notatur quidem tota persona *θεάνθρωπος* ab humana natura denominata, sed tamen ita, ut ei quatenus homo est *το* esse in cælo in statu Exinanitionis non nisi *ὡς υἱοῦ θεοῦ & λόγου* seu Filii Dei, atq; ita saltem intima præsentia non extrema tribuatur, uti *Domi- ni Theol. Saxon. in Apologia contra Tubingenses p. 184. seq.* id explicant. Quia autem de Christo & Filio hominis secundum carnem per & propter *naturam* personaliter cum natura humana *unitam*, enunciatur hæc *presentia*, multò magis & fortius Naturæ istius *Vera Divinitas* inde asse- retur.

§. 4. Alterum divinum, quod Christo in Scriptura tribuitur & vindicatur, sunt *Actiones Divinae*, tum *generales*, ut *Creatio Job. I. 3. Col. I. 16. Ebr. I. 2. Conservatio & Gubernatio Ebr. I. 3. Job. V. 17.* tum *speciales*, ut *Miracula vi- sibiliter ab eo patrata, Redemptio generis humani, Datio Spiritus S. &c. Job. V. 21. c. XX. 22.* Etsi enim *Actiones Generales* hodie durantes adhuc & illæ, quæ ad officium ejus pertinuerunt, *eidem secundum utramq; na- turam* competant, tamen & rectè *Divina Natura* in Christo exinde pro- batur; Absq; hac enim in Christo si fuisset, minimè tam liberè *Job. V. 21. & propria Virtute Act. III. 12.* efficere ea potuisset. Argumentum hoc la- tius persequitur *Gerb. in Exeg. de pers. Christi §. 55. seq. p. 1179 seq.*

VII. *Tertium* argumentum pro divina in Christo natura ex *eiusdem ὁμοσιᾷ cum Patre*, per quam eidem *Coæternus, Coequalis & Coessentialis* est, construitur, *Chemn. in Locis p. 152.*

§. 1. *Coæternitas* probatur (1.) ex eo quod *gloriam* habuisse dicitur *apud Patrem πρὸ ἔργων ἡμῶν εἰναι Job. XVII. 5.* Non dicitur gloria ei data esse, sicut *2. Tim. I. 9.* gloria credentibus data esse dicitur in Christo ante tempora secularia: sed dicitur ille *apud Patrem* eam habuisse ante mundum conditum. (2.) quia *Job. VI. 92.* dicitur Christus *ascendere eò*
ubi

ubi fuerit prius se, non in tempore, sed ante tempora, (3.) quia nomen eius Ps. LXXII. 18. ante solem permanere dicitur. Ebræa verba $\text{יְהוָה יִשְׁמַר לָנוּ וְיִשְׁמַר לָנוּ}$ non æquè ab Interpretibus exponuntur. Multi de modo interpretantur, quò scilicet cultus Messiaë propagari ac continuari deberet & יִשְׁמַר vertit per *sobolescet*. Verba autem $\text{יְהוָה יִשְׁמַר לָנוּ}$ de extensione durationis in futurum exponunt, ut sensus sit: *Quamdiu sol conspicitur, nomen ejus sobolescet seu continua successione à patribus ad filios & nepotes propagabitur, ac perennabit à generatione ad generationem.* Alii verò pro *Actiologia* habent, quâ ratio detur, cur religio Christiana sit in perpetuum duratura, quia scil. Messiaë nomen ante Solem & ab æterno filiatum fuerit, h. e. *quia ille ab æterno filius sit & etiam in æternum is erit.* Atq; ita verba $\text{יְהוָה יִשְׁמַר לָנוּ}$ de duratione ad præteritum extensa, & futurum יִשְׁמַר per *enallagen* per præteritum exponunt, uti Ebræi continuationem exprimere solent. Et ad hunc locum respexit *Burgensis in scrutinio scriptura à Chemnitio* Citatus, imitatusq; est *Patres multos*, qui ex hoc textu argumentum pro Deitate ita construxerunt (4) quia in principio dicitur fuisse *Job. I. 1.* quod *Chemn. p. 153.* exponit, *ab æterno.* Notandum tamen, non *formaliter* voce principii æternitatem indigitari, cum hæc principium non sit, sed careat principio: verum *materialiter* saltem & per *consequentiam*; Qui enim non fiebat, *sederat*, cum omnia quæ initium suæ essentiaë cœperunt, crearentur, is est æternus.

§. 2. *Coæqualitatem Christi cum Patre probant testimonia Scripturae.* Quædam *directè*, quædam verò *consequenter & indirectè.* *Directè* eam probat textus *Job. V. 18. 19. 20.* ubi Christus sese *æqualem* Deo Patri profitetur, sicuti non tantum Judæi intelligebant istud, sed etiam Christus id probat, dum eadem opera eandemq; agendi potentiam ac rationem cum Patre sibi tribuit. *Quæ Pater facit, τὰ ἅπαντα ἃ ὁ υἱὸς ὁμοίως facit, v. 19. sicut Pater suscitavit mortuos, & τὸ ἅπαντα ὃ ὁ υἱὸς ζωοποιεῖ.* Et additur, *& ἡ δόξα, v. 21. sicut Pater honoratur καὶ ὁ υἱὸς etiam Filius v. 23. sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit filio habere vitam in semetipso, v. 26.* Hisce addi possunt dicta *Job. XVI. 15. c. XVII. 10.* *Indirectè* autem *Coæqualitatem* probat dictum ex *Phil. II. 6. 7.* allegatum, Quia enim *subjectum* enunciationum in hoc textu, est *Christus secundum humanam naturam*, secundum quam exinanitus etiã & exaltatus fuit, igitur ita temperat suum stylum Apostolus, ut non dicat Christum esse *ἴσθι τὸ θεῶν*, sed *ἴσθι τὸ θεῶν* saltem nominat ac significat, Christum secundum carnem certò scivisse & arbitratum fuisse, *ea quæ æqualia sunt Deo*, ut: *Hypostasis divina ac Majestas ei communicata, fuisse suæ & jure unionis sibi esse communicata*, ac nõ rapuisse ea sibi met, sicut Adam rapere illa volebat. Aliud autem est, *esse æqualem Deo & aliud est habere æqualia Deo.* Secundum carnem Christus non est æqualis Deo, verum accepit ea quæ Patri æqua

æqualia sunt. Utrum ergo non directe dictum hoc æqualitatem filii Dei cum Deo Patre probat, tamen consequenter firmiter eandem asserit, dum in eo non tantum præsupponitur hypostasis Filii ac divina Majestas in Christo; sed etiam illa ipsa τὸ θεῶν, i. e. Patri & æqualia esse dicuntur. Unde non opus est voculam ἰσῶν vel Adverbialiter exponere per ἰσῶς; vel per neutrum singulare pro plurali positum: sed ellipsis hic subest, quæ suppleri debet, vel per τὰ ἐαυτῶν ut *Camerarius in Notis p. iii.* vult, ut ita ordinetur textus: *Jesus Christus non rapinam duxit* (i. e. certò scivit ac statuit) τὸ τὰ ἐαυτῶν εἶναι ἰσῶν τῷ θεῶν (h. e. quod ea quæ sua sunt & sibi ex jure unionis personalis competunt, sint æqualia Patri: vel per Pronomen Relativum αὐτῶν: τὸ εἶναι (αὐτῶν) ἰσῶν θεῶν esse ipsi æqualia Deo, uti *Dn. Glassius in meditat. sacr. super h. l. Domin. Palmar. p. 781.* exponit. Vid. de hoc loco *B. Mentzer Disp. VII. Martini Eienchom. th. 5. seq. p. 201 seq. D. Feverb Fasc. III. Disp. II. th. 55. seq. p. 71. D. Paul. Tarnov. in l. contra Socin. p. 533. D. Althoff. in AntiBecm. p. 265. seq. Schroder in Sceptro Regali p. 96. ad 139 & Throno Regali p. 108.* Eandem probationem indirectam Coæqualitatis Filii Dei præstant cætera allegata dicta, *Job. XVI. 15 XVII. 10. Ps. LXXXIX. 27. 28.* Omnia hæc de Christo secundum carnem agunt, & quid per unionem personalem acceperit, explicant. Quia tamen illa ipsa Patris sunt & Infinita Majestas, firmiter inde sequitur, illa ipsa æqualia Patri esse & Filium Dei æqualem esse Patri. Propter quod unumquodq; enim tale est, illud magis est tale: Per & propter unionem personalem autem cum Filio Dei, habet Christus secundum carnem æqualia Deo Patri & ea quæ sunt Patris.

§. 3. *Consubstantialitatem* Filii Dei cum Patre evincunt æterna ejus generatio ex Patre *Psalm. II. 7.*

Qui est ex Deo Patre ante omnia secula natus, ille ejusdem Substantiæ est cum Patre:


Filius est ex Deo Patre natus ante omnia secula:


E. Filius est ejusdem Substantiæ cum Deo Patre.

Et quia non generatio *Physica* hæc est, quæ in tempore fit κατὰ χρόνον & per defluxum substantiæ generantis ejusq; alterationem quod ex tota antiquitate probat *Dionys Petavius Theolog. Dogmat. de Trinit. l. I. c. 8. N. 10. n. 12. seq.* etiam eandem numero essentiam sibi communicatam habet per generationem hanc Filius, ita ut totam Essentiam Patris individuan & numerò unam habeat & distinctam quidem hypostasin acceperit, non verò separatam, unde & non extra Patrem eam habet sed in Patre; Fuit apud Patrem *Job. I. 1. in Patre Job. X. 34. in sinu Patris Job. I. 18.* de quo in seq. Membro plura dicemus.

AB 42 $\frac{3}{i,9}$

VO 17





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

AD LOCOS

ii,

VII.

ARTICULO DE

O

S DIVINITATE,

PZOVV SS. Theol.

id D, Thomæ

frankenstein Lipsiensi,

at. ConR. &

48.

LERI.